

Franz Albert Aepinus

**Solennia Exeqviarum, Prænobilissimæ Foeminæ, Vero Sexus Sui Ornamento,
Dominæ Ilsabe Dorotheæ Michelsen, Conjugis Nuper Dulcissimæ, Nunc
Desideratissimæ, Viri ... Domini Joachimi Friderici Taddelii, J. V. D. ... Exuviiis
Hodie More Christiano Paratarum, Indicit ... Cives Academicos ... Publico Hoc
Funebri Programmate, Qvacunqve Fas Est Officiositate Rogitat**

Rostochii: Typis Joh. Jac. Adleri, [1745?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1796577960>

Druck Freier  Zugang





Circa 80 Prostoker Prinzenutb.-Programmen,
meist Fehlfälle in vorliegen Bürgest. Familien oder.


(Zivinius u. s. in nobilitätsn. Familien:
Sethelbladt, Preen, Quistorp, Schröpffer, Schuckmann)
u. a.

82 Stücke

Mklb Gen - 40
2/3 II

Friar.
1833.





Leichenprogramme, alphabetisch geordnet
nach d. Namen d. gefeierten Person, nebst Sterbejahr.

L - Z.

1. Quistorp, Anna Christina, geb. Lenthe. 1753
- 2/3. Lüger, Johann Georg. 1748.
4. — — — (Vater). 1751.
5. Mantzel, Kaspar. 1735.
6. — , Maria Justine Margarete. 1742.
7. Schweder, Margarethe, geb. Meyer. 1728.
8. Preusling, Catharina Margareta verh. Pries. 1733.
9. Michelssen, Andreas. 1730.
10. Becker, Catharina Elisabeth, geb. Michelssen. 1744.
11. Michelssen, Christoph Andreas. 1746.
- 12/13. Jaddel, Ilse Dorothea, geb. Michelssen. 1745.
14. Müller, Karl Ludwig. 1761.
15. Nettelbladt, Heinrich [Vater] 1735.
- 16/17. — — — [Sohn] 1761.
18. Neucrantz, Anna Margareta. 1726
19. Nienhöck, Joh. Balthasar. 1738.
20. Niemann, Johann. 1746.
21. — , Michael. 1729.
22. Oerthling, Joachim Felix. 1745
23. Meyer, Anna Maria, geb. Pauli. 1738.
- 24/25. Engelken, Maria, geb. Paulsen. 1738.
26. Petersen, Johann Christian. 1766.
27. Prehn, Wilhelm. 1751.
- 28/29. Pries, Joachim Heinrich. 1763.
30. Quistorp, Hugo Theodor. 1732.
- 31/32. — , Johann Jakob. 1767.
33. — , Lorenz Gottfried. 1743.
34. — , Johannes Christian. 1722.

35. Rassow, Julius Friedrich. 1740.
36. Redeker, Heinrich Rudolf. 1716.
37. Richter, David. 1753.
38. Danckwarth, Catharina Emerentia geb. Schaeffer. 1737.
- 39/40. Schaper, Johann Ernst. 1721
41. Scheffel, Heinrich Gustav. 1738.
- 42/43. Schmidt, Jonas. 1745.
- 44/45. Schöppfer, Johann Joachim. 1719.
46. Schuckmann, Heinrich. 1706.
47. Dörcks, Margaretha, geb. Schuckmann. 1731.
48. Schmidt, Isabe Margaretha, geb. Schwabe. 1743.
49. Zeidler, Anna Emerentia, geb. Schwartz. 1729.
50. Senst, Agneta Sophie. 1729.
51. — Hermann Peter. 1728.
- 52/53. Sibeth, Karl. 1734.
54. Sivers, Jakob. 1729.
55. Lüger, Christine Elisabeth, geb. Spalding. 1746.
56. Spalding, Johann David. 1757.
57. — Thomas. 1743.
58. Burgmann, Anna Christina, geb. Stein. 1773.
59. Stein, Walther. 1739.
60. Stever, Johann Kaspar. 1729.
61. — Johann Valentin. 1755.
62. — Theodor Matthias. 1735.
63. Stieber, Georg Friedrich. 1755.
64. Wetken, Catharina Margareta, geb. Stindt. 1743.
65. Stolte, Christian Rudolf. 1680 - 1731.
66. — — — 1711 - 1736.
Heinrich Christian. 1715 - 1736.
67. — — Peter. 1733.
68. Töppel, Margareta Catharina, verh. Oldenburg. 1774.

69. Verpoorten, Reodor. 1728.
70. Weiß, Margaretha Agnes, geb. von Heidenkopf. 1726.
71. Weidner, Johann Joachim. 1732.
72. Weiß, Gottfried. 1697.
73. Wetken, Johann Georg. 1716.
74. Wilde, Joachim. 1737.
75. Weidener, Johann Joachim. 1732.
76. Barnstorff, Anna Margaretha, geb. Willebrand. 1724.
77. Willebrand, Martin Albert. 1746.
78. Stein, Anna Dorothea, geb. Wolff. 1744.
79. Woerath, Dietrich Samuel. 1753.
80. Wulf, Catharina Margareta, verh. Stein. 1734.
81. Zeidler, Johannes. 1727.
82. Zinck, Johannes. 1732.

SOLENNIA EXEQVIARUM,
 PRÆNOBILISSIMÆ FOEMINÆ, VERO
 SEXUS SUI ORNAMENTO,
 D O M I N Æ
IL S A B E D O R O T H E Æ
MI C H E L S E N ,
 CONJUGIS NUPER DULCISSIMÆ,
 NUNC DESIDERATISSIMÆ,
 V I R I
 PRÆ-NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI, AMPLISSIMI,
 PRUDENTISSIMIQVE, DOMINI,
 D O M I N I
JO A C H I M I F R I D E R I C I
TA D D E L I I ,
 J. V. D. FAMIGERATISSIMI, CIVITATIS AD VARNUM
 SENATORIS OPTIME COMMERITI GRAVISSIMIQVE,
 EXUVIIS
 HODIE MORE CHRISTIANO PARATARUM,
 INDICIT:
 UTQVE TAM FREVENTI, QVAM HONORIFICO SUO
 COMITATU SPLENDOREM IIS MAJOREM CONCILIARE
 HAUD GRAVENTUR,
CI VES A C A D E M I C O S O . O . H O N O -
 R AT I S S I M O S ,
 P U B L I C O H O C F U N E B R I P R O G R A M M A T E ,
 QVACUNQVE FAS EST OFFICIOSITATE
 ROGITAT
FR A N C . A L B E R T . Æ P I N U S ,
 S . T H . D . P R O F . D U C A L . P U B L . E T C O N S I L . C O N S I S T O R . C O L L E G I I
 D U C A L . P R O F E S S O R . E T F C T A T I S T H E O L . S E N I O R , H U J U S Q V E H .
 DECANUS,
 A C A D E M I Æ h . t . R E C T O R .

R O S T O C H I I ,
 Typis JOH. JAC. ADLERİ, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typographi,

1746.



ondum è manu deposueram, **CIVES ACADEMICI O. O.**
HONORATISSIMI! calatum Optimo deqve publicâ Rostochiensium re benè merito Senatori, septuagenario Seni parentante, cum, ecce! de novo jam à me simile desiderabatur officii genus, non qvidem Senatori defuncto, sed extinctæ Senatoris Conjugi: non Seni, sed juventutem plene nondum supergressæ, præstandum. Sic inter isthæc funera versantes edocemur, qvod alioquin per experientiam quoque quotidiam inter omnes adeò constat, ut a me moneri non videatur opus esse, mortem videlicet nec sexui parcere, nec ætati mortalium Nihil minus, dum anni diesque mei mortalitatis meæ non immemorem esse sinunt, neminem fore, spero, qui vitio mihi temerè vertat, si talismodi meditationibus oblecter, qvarum mors, præsensque hominum mortalitas, cum futurâ, per Christi meritum beatâ, nobis exspectandâ immortalitate, sint objectum. Neutiquam tamen mei duntaxat causa hoc dictum velim, sed, ut omnes nos, in mundo hocce viventes, mortalitati ex æquo subiecti ac obnoxii sumus; sic omnes etiam quotidie mortis vivamus memores, in votis habeo. Hujusmodi quippe cogitationes omnium ducentæ nobis sunt præstantissimæ, qvibus aliæ nullæ menti se ingerere possunt salubriores. Qvare non solum eximius ille Christianorum morum formator, JEsum Siracidem puto, freqventer seduloque nos, ultimorum nostrorum ut recordemur, admonet, finemque respicere svalet, verum & Gentilium ipsorum sapientissimi qvi que necessitatem illius medita-

ditationis agnoverunt, ac suis inculcare non omisere. Pluribus qvidem collectis ex eorum Scriptis, qvæ nobis reliqvere, verbis ac testimoniis sine difficultate allegandis id comprobari posset; at instar omnium nobis sit, qvem inter Gentiles Christianum alii, alii inter Christianos Gentilem pronunciare non addubitant, SENECAE consilium in *Natural. Qvæst.* Lucilio scribentis: *Hoc unum meditare, ne mortis nomen reformides. Effice illam tibi cogitatione familiarem, ut, si ita tulerit, possis ipsi vel obviam exire.* Agnoverunt qvippe, ingressum in immortalem vitam ab egressu ex mortalitate hujus vitæ dependere. Qvod idem etiam Rex ille, ipso judicio divino sapientissimus declaratus, *Eccles. XI. 3.* nobis inculcat simili: *Si cadit lignum, sive in meridiem sive in Septentrionem, quo loco ceciderit lignum, ibi erit.* Cujus similitudinis illustrationem & applicationem accipiemus, ex afflato divino, abs Apostolo Paulo, *Rom. II. 3.* scribente: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini, morte videlicet æternâ, qvæ est ipse damnationis æternæ status; Si vero Spiritu actiones corporis mortificatis, vivetis, vitam nimirum æternam, æternâ beatitudine gavisuri.* Nam, eodem Apostolo, *Rom. II. 6. seq.* docente, Justitia DEI reddet unicuique secundum opera sua. Primaria qvidem, proxima & adæqvata, quantum ad nos spectat, vel vitæ vel mortis æternæ causa, CHristo ipsomet afferente, fides aut incredulitas est, *Marc. XVI. 16. Job. III. 18. 36.* at verò cum utraqve hac opera, velut effectus cum causa, conjuncta sunt. Ista qvippe per charitatem (qvo nomine Scriptura universam vitæ sanctimoniam comprehendit ac exprimit, *Matth. XXII. 36.-41. Rom. XIII. 8. 9. 10.*) efficax est, fructusque Spiritus, qvi dicuntur *Gal. V. 22.* producit. Hæc ex adverso, (contrariorum enim contraria ratio est, contrarii sunt effectus,) opera carnis, ab hereditate Regni DEI patrantes excludentia, sicuti paulò ante Paulus *v. I9. 20. 21.* docuerat, progignit. Unde futurus Universi Judex, ut est apud *Matth. XXV. 34. seq.* unumqve ex operibus suis, tanquam vel fidei vel infidelitatis effectibus ac indiciis, aliorum in sensu incurrentibus, qvo justitia judicii sui cuilibet manifesta fiat, judicabit. Qvibus, iisdemqve similibus, piis futurorum meditationibus si nullo non tempore mens occupata fuerit, haud secus fieri potest, qvam ut mortalitatem nobis nostram in memoriam revocent, nec esse finant nos futuræ mortis immemores. Qvisqvis enim serio mortalis hujus vitæ fragilitatem mente volvit, subindeque recogitat, sui ipsius nimirum negligens sit, oportet, si non cogitatione, Seneca supra suasore, tempestive mortem effecerit sibi familiarem. Ex eo namqve conseqvi potest, ut eò magis majoriqve cum animi sollicitudine dono fidei à Spiritu S. donari, & ab eo regi devote roget, insimul qve à peccatis studiosè sibi caveat, qvæ novit non saluti solùm obesse, sed & in gehennam, ni seriam eorum pœnitentiam, anteqvam moriatur, eggerit, Christiqve meritum fiducialiter apprehenderit, præcipitare. Id qvod omnis ætas sibi dictum opto, qvid? qvod horter moneamqve. Experiencia qvippe pariter ac veritate satis superqve comprobatum est vetustum illud: *mors certa, hora mortis incerta;* qvomodo & nobilis ille Poëta Calaber, *Horatius Lib. IV. Cap. 7.* cecinit:

*Quis scit, an adjicant (adjiciat) hodiernæ crastina summa
Tempora Dī superi? (DEUS supremus, rectius.)*

A. 2.

Per-

Persæpe qvippe mors inexspectata venit, omnium opinione citius corpora mortalium invadens, subitoqve vitam iis eruptura, cuius exempla omnium ætatum complura sunt in promptu, qvorum qvodlibet nobis velut acclamare videtur: Alienis ex periculis capite, Mortales! vobis qvod ex usu siet. Jdqve non senioribus ætate solum, & qvibus cum vario morborum genere, mortem acceleraturo, diutius conflictandum, dictum scriptumve reputandum est, sed, dum illi vel ab ipsis suis diebus causariove corpore istius admonentur, cumprimis nullo non tempore meditentur, velim, qvotqvot juvenilem adhuc inter nos vitam agunt, dum ætate floridâ firmiorique gaudent, dum nondum venere dies mali, nec accesserunt anni, de qvibus dicitur: non est mihi in illis beneplacitum; (*Ecclej. XII. 1.*) animi sibi vigorem imaginati, viriumque corporis robore fruentes, indeque locupletem sibi dierum & annorum sumnam promittunt, fugacitatis vitæ parum memores, si forte non immemores planè mortalitatis suæ dicendi. Qvodi enim, ceu Christianos æternæ salutis cupidos decet, talibus sese cogitationibus quotidiani occuparent, si non omnes, certe multos tamen aliam, ac agunt, inituros esse vivendrationem, nullum mihi reliquum dubium est. De qvo verò multum verborum facere, heic mihi qvidem propositum non est; non tamen non possum, qvin illis in memoriam revocem, qvod, utinam, eorum menti nunquam elabatur, sed illud in omnibus viis & actionibus suis ceu regulam ac normam sibi præfigant, monitum Salomonæum, *Eccles. XI. 9.* Hujus etenim si semper recordati fuerint, de mortalitate sua cogitationes ipsis non deerunt, ac ita vivent, ut benè præparatos ex mortalitate hac ad immortalitatem mors sit deductura. Quid multis? Non senio solum confectos mortem hinc rapere, veluti funus superius ostendit; sed &, annos si spectemus, in optimo flore vitam agentes abripere, nec dies vitæ nostræ numerare, vel hodierno die deducendum funus nos poterit condocere.

Qvod dum hæc, utinam, non sine salutari fructu! commentandi mihi dedit occasionem, sine morâ ulteriori, ad præcipuum, cuius gratia talismodi Programmata funebria conscribi solent, memet convertam. Exeqviæ nimirum hodie paratae sunt Exuvias Fœminæ Præ-Nobilissimæ, florentissimæqve virtutum sexum illum condecorantium coronæ ornatu exornatissimæ præfulgidæqve, Dn. JLSABE DOROTHEÆ, gente MICHELSENIAE, conjugio TADDELIÆ, qvò, qvicqvad ejus corruptibile fuit, in initia sua resolvendum, ad usqve futuram, cum auctori omnis vitæ placuerit, beatam resurrectionem, Christiano ritu terræ concredatur. Cujus igitur piè Defunctæ vitæ curriculum describere, à me desideratum est, qvod autem ab imbecillitate meâ dignè præstitum iri, vix ac ne vix qvidem confido; ne tamen penitus huic humanitatis officio deesse videar, id saltem exarare conabor, pictores imitaturus, qvi, qvod exactâ picturâ representare desperant, rudi minimum stilo delineare student.

Ordiar autem ab ipso illius ortu, & in finiendam aliquando hancce vitam ingressu, qvem huic, tam ab Academia Studiisqve Literarum inibi virentibus, qvam florentibus in ipsa commerciis inter Anseaticas olim sic dictas Civitates, celeberrimum undiqvaqve per orbem conseqvutæ nomen, urbi debuit. In ea qvippe vitali primum aurâ vesci cepit *Anno cur-*
ren-

rentis seculi nostri, post natum Salvatorem nostrum, *supra decimum octavo*, mensis eundem inchoantis *Januarii die statim secundo*, ut adeo Parenibus hæc recens Nata veluti strenæ loco cœlitùs donata videri dicique queat. Et ortum illum suum nacta est à Progenitoribus, qvos probatis, virtutum meritorumque gloria, honosque laudesqve post fata qvoque manserunt, & in hodiernum usqve diem manent, imo qvamdiu perstabant urbis mœnia, semper manebunt.

PATER eam genuit Vir Præ-Nobiliss. Ampliss. ac Prudentiss. Dn. ANDREAS MICHELSEN, Consul de Civitatis Rostochiensis bono, deque mercaturæ heic flore cumprimis, magnâ cum laude longè meritissimus. Cui, recordamur, ante qvindecennium, eopse tempore, qvo, propter exhibitam Imperatori Carolo V. ac Imperii Statibus, & in solennioribus Augustae Vindelicorum institutis Comitiis publicatam Augustanam Confessionem, ceu primum atque primarium Evangelicæ Ecclesiæ nostræ Symbolum, DEO devota Jubila celebraremus, inopinam & inexspectatam mortem vitam eripuisse, cuius adeò funus & ipse, qvem penes tunc qvoque temporis Regimen Academicum erat, simili scriptionis officio, qvod nunc ejus Filiæ natu postremæ præstandum, sum prosequtus. Cujus memoria huc dum Rostochiensibus grata viget, ac ad Posteros propaganda vigebit.

MATER ipsam peperit eximiarum sexum isthunc ornantium virtutum decore fulgidissima, Præ-Nobilissima Dn. JLSABE CATHARINA RASSOVIA, post sextuplicem, qvo Maritum jucundissimum exhilaraverat, at nunc, cum Beatà Nostra, qvod dolemus, præmaturâ morte jam extinctum, binarii nimirum filiorum, filiarumqve quadrigæ, partum, Anno MDCCXIX. exutâ hac mortalitate, cœtui viventium in cœlis associata.

In linea superiori AVUS Nostræ contigerat, dudum ante jam & non multo post, ac feralis illa decantatissimaqve flamma tertiam circiter ædificiorum urbis partem in cineres ac rudera converterat, ad superos translatus, Vir integrissimus ac Nobiliss. Dn. HANS MICHELSEN, è primariis loci hujus Civibus, Zytopepta & Mercator dexterissimus florentissimusqve. Cujus Uxor,

AVIA defunctæ, fuit virtutibus istius sexus exornatissima Matrona, CATHARINA GRIESENIA, qvæ defuncto, velut paulo ante relatum, priori Conjuge, secundis nuptiis copulata fuit B. Dn. JOACHIMO TARNOVIO, Senatori civitatis hujus, cum supremum suum obiret diem, Prudentissimo.

PROAVUS Nostræ in hacce paterna linea existit Vir præstantissimus, JACOBUS MICHELSEN, qvem navigationibus commerciisque cum Exteris civitatem hanc haud parum ornasse, compertum habemus. Atque per hunc B. nostræ TADDELIÆ

PROAVIA conciliata fuit virtutibus & in DEum pietati deditissima fœmina, MARGARETHA BÖRTEN. Sed & in altera hac avita linea

PROAVUM beatæ nominare concessum nobis est, Virum videlicet integrissimum, ANDREAM GRIESEN, Civem hîc primarium, cerevisiæ coctioni & mercaturæ vacantem. Sicut &

PROAVIAM, virtutibus sui sexus præstantissimam, piamqve, CATHARINAM BIERMANNIAM.

Quantum autem ad alteram, ex parte Genitricis, Lineam attinet,
B AVUM

AVUM Taddeliæ nostræ recordamur exstitisse Virum Nobilissimum atque negotiorum cœconomiam spectantium expertissimum callentissimumque, Dn. HENRICUM RASSOVIUM, Prædiorum primum in viciniâ nostrâ **Suthoff & Teutenwinckel**, ad Annū usqve MDCCVII; dein **Stintenburg**, in Ducatu Saxo-Lauenburgico, prope lacum non ignobilis, qui vocatur **der Schall-See**, limites orientales inter dictum nostrumque Ducatum figentem; tandemque **Harms & Bischoffs-Hagen**, ad Cœnobium Ruhnense, in Episcopatu qvondam, nunc Principatu Suerinensi, pertinentium, Conductorem, qvem vulgo Pensionarium dicunt, solertissimum atque dexterimum. Qui tandem negotiorum talium satur, ingravescere jam senectute, quietem à mundanarum rerum curis anhelans, & tranquillitati se datus, Anno MDCCXIII. in urbem hancce, comparatâ fibi propriâ habitatione, se contulit, vitam apud nos suam in DEO placidè finitus, sicut & ipsi, post unius abinde lustri decursum, annum ætatis septuagesimum agenti, contigit. Cujus Conjugem,

AVIAM nostræ fuisse, novimus, eximiis tam animæ, quam corporis dotibus exornatam Nobilissimamque Matronam, ANNAM CATHARINAM GRÆDENERIAM.

Ulteriores, à qvibus sanguinem in hac utraqve linea traxerat Beata nostra, ex Programmate funebri Rectorali, qvo B. Dn. D. HERM. CHRISTOPH. ENGELKEN, Theol. P. P. O. & Pastor Johanneus, de utroque munere longe meritissimus, Collega noster, dum viveret, Honoratus, ad exeqvias B. Dn. JUL. FRIED. RASSOVII, Hærelditarii in Oberhoff, Reverendiss. Abbatissæ Gandersheim. & Sereniss. Marchion, Brandenburgo-Culmbac. Consiliarii, piè mortuæ Avunculi, ante qvinquennium & qvod excurrit, tum comitandas invitavit, iisdem fere retentis verbis, referemus. Juxta hoc igitur

PROAVUS in priori linea defunctæ Taddeliæ contigit Dn. HENRICUS RASSOVIUS, Conductor in Praefectura Dobberanensi, qui in matrimonium duxit ILSABEN HÆCKERS, filiam CARSTEN HÆCKERS, Senatoris Warinensis, & DOROTHEÆ KLEINÆ, natæ HENRICI KLEINII, Mercatoris primarii Wismariensis. Neptem porro BALTHASARIS HÆCKERS, Civis & Aurifabri Wismariensis, ac HEDWIGÆ LEVENOVIÆ. Memoratur & ulterius isthoc in Programmate

ABAVUS istius linea, Dn. LEONHARD. JOH. RASSOVIUS, constitutus denique, post multa alia, quæ solertiâ insigni sustinuit, munia, à Serenissimo Duce, ADOLPHO FRIEDERICO, Praefectus Neo-Bucoviensis; ac

ATAVUS, Dn. BALTHASAR RASSOVIUS, telonio Teperhudensi administrando præpositus, postquam antea in duabus contra Turcarum acies expeditionibus bellicis, sub Serenissimo Duce Saxo-Lauenburgensi, FRANCISCO, stipendia faciens, fidelitatem suam documento non uno comprobasset. Tandem etiam additum ibi deprehendimus

TRITAVUM, Dn. LEONHARDUM RASSOVIUM, Serenissimi Ducis Brunsvico-Luneburgensis Praefectum stabuli Specabilissimum, qui uxorem duxit GESCHE NIEHAUSEN, & postmodum domicilium suum Hirschera transtulit.

Hæc ex dicto Programmate Engelkeniano adducta sunt, ex qvo itidem, qui sunt alterius ordinis in avitâ hacce linea Ascendentes Beatæ nostræ, depromere licebit. Juxta qvod ea, per Aviam suam supra laudatam,

PRO-

PROAVUM numeravit Virum probatissimum, Dn. JOACH. GRÆDENER,
Pensionarium quem vocant, in Pürber, prope oppidum Rhenam, in Teut-
renwinckel, St. Jacob penes Wismariam, Sievershagen, Lenschow, &
Warsow, qui conjugium contraxit cum Dn. ILSABE LÜDERS, Dn. ASMI
LÜDERS, Pensionarii Pürborensis filia.

ABAVUM indepta est fulgidissimum Dn. MATTHIAM GRÆDENER, va-
riorum fundorum, ut St. Jacob penes Wismariam, Wischendorff, Gross-
sen Krandau &c. Administratorem peritissimum, qui matrimonii socie-
tatem inierat cum Dn. ILSABE JARCHAEN, Nata Dn. Consulis Mal-
choviensis, JOACHIMI JARCHAEN, & ANNÆ STÜDEMANS, neptis ve-
rò Praetoris Malchoviensis, Dn. JOACH. STÜDEMANNI.

ATAVUM ejusdem lineæ habuit Dn. MARTIN. GRÆDENER, Senatorem
oppidi Grevismælen promptissimum, cuius uxor, MARGARETHA KÖNECKEN, à
Cive illius loci optimo procreata fuit.

Hæc igitur est series eorum, qvibus, post DEum, primum vitæ no-
stræ Auctorem, ortum suum debuit B. TADDELIA, qvos etiam post fa-
ta probitatis ac honestatis omnis laus manet. Statim ac mundum hunc
ingressa, pietatis Parentum optimorum præcipua cura fuit, ut à DEO fi-
bi data eidem mox redderetur, & in Ecclesiam ejus ceu membrum rece-
pta, sanctissimo lavacro aquæ in verbo renata & sanctificata, consecra-
retur. Sed eam ipsam utero materno vixdum egressam, & anteqvam
illud intelligere valeret, qvam, in mortali hac vitâ, inconstantia, caduca &
incerta sint omnia, jamjam oportuit experiri. Nam eo ipso suæ nativi-
tatis Anno MDCCXLI. Genitricem, post editum huncce partum dulcis-
simum, immaturâ morte ac intempestivè, nostro si judicio staret, amisit,
providâ istius curâ & speratâ educatione orbata. Videbatur eqvidem
jactura hæc qvodammodo resarcita damnumque compensatum, qvando
B. Nostræ Genitor, consumto viduitatis biennio, Numine supremo diri-
gente, suauqve necessariorum suorum, ad vota secunda tranfiens, jugali
feedere sibi junxerat Virginem tum Præ-Nobiliss. virtutibusqve præpol-
lentem, BARBARAM ELISABETHAM GRÖNINGIAM, Viri jam beati, Præ-
Nobiliss. Consultiss. ac Prudentiss. Dn. CHRISTOPH. GRÖNINGII, J. V. D.
& Wismariensium Consulis ac Syndici, de Patriâ longè meritissimi, Fi-
liam natu majorem, qvæ novercæ genium adversus infantulæ teneritu-
dinem adeò non ostendit, ut potius eam amoris verè materni affectu
complexa & proseqvuta laudetur. At neqve hic fortunæ melioris aspeçtus
constans aut durabilis fuit. Ediderat enim laudata hæc altera Coniux Mi-
chelseniana, Anno seqvente MDCCXXI. d. 14. mensis Aprilis, filiolum,
CHRISTOPHORUM ANDREAM, cum baptizaretur, nominatum,
eumqve nunc solum omnium à B. Dn. Consule M I C H E L S E N pro-
genitorum, faxit DEUS T. O. M. diutius! superstitem; sed nato vi-
tam dando denata mater est ipsa, in puerperio insperatâ morte vi-
tam amittens. Ita tum & Maritus iterum ad viduum statum reda-
ctus, & filiola inopinatò Matre rursus orbata, sicqve concepta de
hujus in istius educationem impendenda curâ spes decollavit. Erant
interim, & ipsæ liberaliter educatæ cunctisqve virginalibus virtutibus ad-
suetæ, Sorores illius natu majores, qvæ, qvod & Genitrici & Novercæ
denegatum, in se promptè suscipiebant educationis istius negotium. Sed

& ipse Genitor, qvamdiu supererat, utut alioquin negotiorum multitudine distractus, curæ nihil omittebat, ut, cum adolesceret, ad pietatem erga DEum mature manuduceretur, aqve fidelium Præceptorum dexteritate in iis, qvæ cum ad felicitatem temporalem, tum ad æternam salutem, mortalibus scitu necessaria sunt, crescentibus annis, magis instituta fieret magisqve. Verum neque hac fortunâ diu multumqve frui licitum ipsi fuit, siqvidem &, puella duodecennis, hunc amantissimum sui providumqve Patrem amisit, dum ille, ceu superius jam observatum, Anno nobis Jubilæo, Seculi hujus XXXmo, ultimum mundo Vale dicebat. Id qvod tamen crucis & afflictionum genus, qvà Christianam decet, patientiâ, divinâ providentiâ nixa, tulit non modò, verum & pertulit. Sed & magno illi solatio fuit, qvod abs Amplissimo loci hujus Senatu Tutores sibi datos experiebatur integerrimos atque salutis suæ cupidissimos, Viros Præ-Nobiliss. Ampliss. ac Prudentiss. Dn. Job. Valentin. STEVERUM, Materteræ suæ Maritum; & Dn. Joach. Henric. PRIES, utrumqve heic Senatorem, de publicâ Patriæ re qvam optimè promeritum, & illum Præ-Nobiliss. Senatus simul Proto-Notarium fulgidissimum. Qvorum exhibitam sibi humanitatem præstitamqve, qvoad usqve virgineam cœlibem vitam egit, tutelam fidelissimam, non grata solum agnovit, sed & non semel, sed iterum atqve sæpius congruâ cum laude deprædicavit. Mox autem, post B. Parentis obitum, una cum fratre supra nominato, jam J. U. Cultore, visis, peregrinando, exteris Terris & Academiis, propediem, qvod DEus faxit feliciter! reduce futuro, recepta fuit in ædes Sororis suæ nativitate primæ, nunc etiam Anno superiori jam Cœlitum numero aggregatae, Dn. CATHARINAE ELISABETHAE, matrimonio junctæ Viro Summe Rever. Ampliss. & Excellentiss. Dn. JOH. HENR. BECKERI Phil. & S. Theol. D. hujusqve Prof. Publ. Ord. Celeberrimo, ac ad ædem hic Nicolaianam V.D. M. Religiosissimo, Fautori nostro, Collegæ ac Affini æstumatissimo. Hujus igitur Conjugum paris pietas, qvò propiùs ei sanguine juncti erant, eò majorem adhibebant sollicitudinem, ut jaqtis jam probe fundamentis ulterius superstrueretur in DEI divinarumqve rerum cognitione incrementum, igniculiqve devotionis in DEum magis excitarentur ac inflamarentur. Qvam feliciter autem successerit illorum in ejus educationem impensa cura testis est ipse Vir Venerandus, ex propriâ experientiâ testimonium ferens fide dignissimum, & omnium, qvotqvot Beatæ notitiam adepti ac cum eâ conversati sunt, unanimi consensu comprobatum. Ut enim docilem à DEO virtutumqve amantem nacta naturam erat; sic & ubiqve valde flexiblem salutaribus monitis promptamqve præbebat voluntatem. Elucebat in illâ, ab infantia inde variis documentis declarata, ad omne bonum & laudabile proclivitas, indeqve tantò facilius non modò, sed & felicius in virtutum cultura proficiebat, ab omni perversa philavtia, singularitate, garrulitate, pertinacia, fastu, luxuqve pariter ac reliquis, in qvibus non paucæ istius sexus alioquin delicias suas qværere solent, seculi hujus vanitatibus longe alienissima, gnaviter studens, ut piæ suæ benevolentissimæqve Educatri- cis exemplum ob oculos sibi poneret imitandum.

Qvales eximiæ ac amabiles dotes, qvibuscum & administrationis rerum domesticarum exercitium, & œconomiæ peritia juncta, diu latere neqvibant, sed exsplendescentes, in ipsam iis ornatam Virginem facile pro-

procorum animos convertebat. Examibiit autem eam *Vir Præ-Nobilissimus*, *Consultissimus*, ac *Prudentissimus*, *Dn.* JOACHIMUS FRIDERICUS TADDELUS, *V. J. D.* *inlytus*, *Senator Rostocienstum Amplissimus*, *bodieque Judicij*, *qvod Gewettæ vulgariter nomine signarum*, *Præses Gravissimus*, *Fautor ac Amicus noster honoratissimus*. Cum hoc qvippe, Cognatorum ac Curatorum suorum accedente consensu, sponsalia celebravit Anno MDCCXXXIV. mensis Septembbris d. 23. sacerdotali benedictione præviâ, consummata. Qvale hi Conjuges conjugium erga se invicem duxerint enarrare, super vacaneum foret, utpote de qvo per urbem inter omnes constat, qvod præcepto Paulino *Eph. V. 33.* conformiter sese gesserint qvam observantissimè. Tam illud concors erat, ut nulla unqvam inter eos exorta discordia, nec unqvam animi reconciliati. Qvamobrem Beata, sicuti marito suo, ita non minus Cognatis illius gratissima semper exstitit & magni æstimata. Cum primis & acceptissima jucundissimaqve fuit Socrui suæ, genuino magnarum virtutum exemplo, *Præ-Nobilissimæ Matrone*, *Dn.* CHRISTINÆ VERMEHREN, *Viri qvondam Illustris*, *B. Dn.* JACOBI TADDELII, *Serenissimi Ducis Mecklenburgici*, ac *Domini FRIDERICI WILHELDI*, *gl. mem. Consiliarii Regiminis*, *Viduæ*, quam Numen Clementissimum in splendidissimæ Familiae gaudium diutissimè jubeat supereffe. Hæc enim Nostram, non uti Nrum respexit, sed velut ex se natam filiam amatissimam dilexit, & nunc obitum ejus acerbe deplorat: sicut ex adverso hæc illam non secus acsi vitam ei debuisset, filialis amoris affectu, veneratione summâ & honore debito proseqvuta fuit.

Tale cum fuerit prædictum illud conjugium TADDELIO-MICHELSENIANUM, in qvo DEO ipsi beneplacitum, non caruit ipsum cœlesti desuper benedictione, qvippe qvam Optimi hi Conjuges, ut alibi, sic & in procreatâ prole affatim experti fuere. Fœcunda enim exstitit Beata octo, qvibus Maritum exhilaravit, liberorum Mater, qvorum verò partem dimidiā citò præmiserat, nunc iterum in beatorum sede amplexandam. Ordo nascendi progeniei huic talis contigit:

- I. Fuit CHRISTINA JULIANA, qvæ An. 1735. d. 7. Jul. mundum intravit, sed qvinquennium vivendo vix superans eum iterum deseruit, Anno 1740. mensem octobrem incipiente die.
- II. HENRICUS FRIDERICUS, An. 1736. d. 24. Septembr. editus, indolis eximiæ puer, in qvo jamjam animadvertisit ad Literarum Studia non levis inclinatio, super qvem DEus gratiam suam largiter effundat, ut Parentis & Avorum vestigia premens olim qvam multa societati humanæ commoda ferat.
- III. JOHANNES JACOBUS ANDREAS, natus An. 1738. d. 4. Januarii, annum inchoantis mensis, itidem adhuc aurâ vitali vescens, qvem & benedictum Numen benignissimum faxit.
- IV. SOPHIA DOROTHEA, qvæ 12. Septembbris die Anni 1739, lucem hanc ad-

aspexit, unica per DEI gratiam superstes filia, indolis atque virtutum maternarum, benedicente Cœli providentiâ, futura hæres certissima.

V. CHRISTIANUS JOACHIMUS, An. 1740. d. 1. Augusti natus, denatus d. 11. Julii An. 1744. quindecim horarum spacio circiter à variolarum vehementia extinctus.

VI. CHRISTIANUS WILHELMUS, utero materno exclusus Anni 1741. d. 25. Agusti, puerulus in tenerrima hac ætatulâ jam multum bonae spei de se praebens, quam non irritam fore, Dominus provideat, optamus.

VII. CAROLUS LUDOVICUS, d. 9. Novembr. An. 1742. mundum hunc ingressus, egressus ast iterum ex eo An. 1743. d. 13. m. Octobr.

IX. CHRISTINA MAGDALENA, quae hoc ipso 1745to Anno d. 6. Martii mundum hunc salutavit, citò eundem vix visum desertura. Nam edita circa horam secundam matutinam, accepto, horâ sequente tertiatâ, propter agnitionem illico nativam ejus infirmitatem, properato Baptismate, horâ ejusdem diei undecimâ vespertinâ, spreto hoc mundo, cœlum petiit.

Adversus hancce suam progeniem Mater amantissima $\sigma\circ\gamma\eta\pi$ fovebat, quam dicere possumus summam, nulli vel curæ, vel sollicitudini, vel operæ parcens, quam ad istius educationem ac bonum promovendum vel utilem, vel necessariam, quam pollebat prudentiâ, judicabat. Affligebat eam eqvidem quatuor carissimorum liberorum jactura, sed recordata, DEum eosdem, ne viderent mundi semper magis ingravescentem perditionem, in regnum cœlorum mature hinc avocasse, se rursus consolabatur. In omnibus etiam aliis sibi divinitus immissois afflictionibus, ad quas etiam paucorum superioris anni mensium spatio contingentem duarum hucusque superstitione dilectissimarum Sororum, in primis laudatæ Educatrixis suæ fidelissimæ, præmaturum obitum referebat, nutui divino se subjecit, crux omnem à manu benigni Patris cœlestis acceptans, obedientiâque passiva tolerans, certa, cuncta sibi in bonum esse cessura. In reliqua cum aliis conversatione, sive publicâ, sive privatâ, humanitatem, modestiam, moderationem, sinceritatem, & animum erga omnes, uti fucum, sic & injustitiam ac iniuriam omnem abhorrentem, demonstrabat. Neuti- quam tamen sibi quispam imaginetur, velim, eam ab omni labe puram & perfecte sanctam à me pronunciari : absit ! Nullum etenim ego regnitorum Perfectismum, sive crassior sit sive subtilior, admitto statuove, assertis, cum Prophetico, Ei. LXIV. 6. tum Apostolico, Rom. III. 23. experientiâ quotidiana tam in me ipso, quam in aliis, satis edoctus, tenaciter inhærens. Innuo tantum, B. Nostram TADDELIAM, affectivè & comparativè quando loquimur, quousque humanum judicium porrigitur, irreprehensibilem vixisse, inter meliores, mundum hunc visibilem incolentes, Christianos numerandam. Agnoscebat utique cognatam infirmitatem suam atque dolebat, eaque propter, acta quotidiana suarum à Lege DEL aberrationum pœnitentiâ, Spiritus Sancti ductu studebat ac nitebatur

tur, ut, carnis operibus Spiritu mortificatis, membrisque peccati crucifixis, non secundum carnem ambularet, sed secundum Spiritum.

Atque haec de vita, quam BEATA nos inter vixit, dicta sint. Qualis autem vita fuit, talis plerumque solet ex eadem exitus esse, quem igitur non nisi bonum TADDELIÆ, nostræ contigisse, conjectu difficile non erit. De quo vero, causas ejusdem naturales (de moralibus enim ex Rom. V. 12. & VI. 23. unicuique constat) referentem audiemus illius ex Sorore, ultra annum jam pie functa, proximum Affinem, Virum Præ-Nobiliss. & Experientiss. Dn. CHRIST. FRIDR. STEVERUM, Med. D. inclytum & Praetoricum Dexterimum felicissimumque, ita scribentem :

Morbos hæreditarios, qui à parentibus in liberos, imo ab avis in nepotes demum derivantur, revera dari, nemo facile negabit, modo consideraverit, natorum cum parentibus suis, insignem quoad externum habitum, faciem nempe & corpus, cuius intuenti facile quandoque apparentem, convenientiam. Nam ex hac externa similitudine non sine ratione colliget, internam viscerum dispositionem, sanguinis & humorum motum, indeque fluentes tam corporis quam animi affectiones, eundem quoque, a parentibus impressum characterem servare. Hoc unicum momentum juvabit stupescentes, dum observant, non unum vel alterum forte, sed plures, ex eadem familia eodem morbi ac mortis genere perire, nec facile, si unquam salutarem artem tali infortunio remedium invenire, vel Libitinæ obicem ponere posse. Viscerum enim pravam dispositionem a nativitate contractam quis corriget? Probant hoc exemplis suis, prob dolor! Sorores ex stirpe MICHELSIANA, quarum jam quarta natu majores, & inter illas Uxorem quoque meam desideratissimam, paucorum annorum spatio, in flore etatis Phthisi omnes extinctas, ipsa, eodem morbi genere defuncta, ad alteram & meliorem vitam sequitur. O durum & irrevocabile fatum! Sed nolo hos renovare doiores, quos tacito pectore premere potius duco. Accingam me ergo ad ultimum officium, quod BEATÆ TADDELIÆ, post fata mibi colendæ, in recensendis infensi morbi, qui ultimus ipsi fuit, symptomatibus, invitus praestare debeo. Videbatur ipsa corporis temperamento satis vegeto ac florente praedita esse, unde quoque a juventute raro morbis fuit obnoxia; & cum circa annum etatis XVIIum. matrimonium iniisset, ilud felicissime fuit fæcundum. Septies enim sine magno incommodo peperit: octava autem vice uterum gerens, conqueri cœpit de

appetitus diminutione, membrorum laſſitudine, intercurrente
borrore ac æſtu vago: qvæ tamen mala, gestationis potius in-
commidis, qoam latenti ac subdolo boſti adſcribebantur. Interim
die VII Ita mensis Martii hujus anni, ante plenarie absolutum con-
ſuetum graviditatis terminum, enixa eſt fætum, vitalem qvi-
dem, aſt debilem, & paucis interjectis horis vivere iterum de-
ſinentem, Puerpera interea ſatis bene ſeſe habente. Transie-
runt ita tranqville prime a partu ſeptimane; abſoluto autem
lochiorum fluxu, magis mgisqve ſeſe maniſtarunt febriles
illi motus, de qvibus grāvida jam conqueſta fuerat, & rem ſe-
rio intuenti metum incuſſerunt de latente viſceris cujuſdam
interni labe & infausto morbi ſuccesſu. In partem ergo con-
ſiliī & labores adjunctum mihi gaudebam Virum Præ-Nobilis-
ſimum atque Experientiſſ. Dn. DETHARDINGIVM, Med.
D. & Prof. famigeratiſſimum Fautorem noſtrum æſtimatiſſimum,
cujuſ opera accedente nihil intermiſſum eſt eorum, quæ Me-
dicina in tali caſu ſuppeditare valet. Aſt indies in deterius
ruebat immedicable malum, grāviſſimus urgebat hec̄ticus calor,
& tuſſis primum ſicca, mox humida junctis ſudoribus colliqua-
tivis, morbi genium jam ſatis maniſtabant; præprimis au-
tem diarrhœa, ab initio ſtatim accedens, moleſta admodum &
viribus corporis infenſa fuit. Spes interim aliqua affulgebat,
cum fons Selteranus cum lacte caprillo in uſum traheretur, ſed
breves fuerunt hæ induciæ; ſudores enim effuſiſſimi cum
frequentiſſimi alvi dejectionibus, tuſſis humida, inquietu-
dines, appetitus plane deficiens, ſpatio XIV. hebdomadum vires
adeo debilitcrunt, ut nec remediiſ roborantibus nec diæta a-
naleptica fatalis funeti hujus morbi exitus retardari potue-
rit. Interim ſub hiſ moleſtiis animus mansit tranquillus &
ſibi per omnia conſtas, nec mortis appropinquantis terrorem
ſentiens: ita, obrepente qvasi ſomno, qvod mortale erat pie
placideqve deponuit.

Contingebat illud hodie finiendi mensis Junii die XVI. circa meridi-
em, inter horam XI. & XII. Ad exitum autem hunc qvam piè mo-
doqve Christiano ſe præparaverit à nobisabitura, cordatà relatione lu-
culentoqve testimonio, qvo ſimul patescet, me ſupra nihil in honorificam
beatè DEFUNCTÆ memoriam, adulandi fortean ſtudio, ſcripſiſſe vel præ-
dicaffe, qvod experientiæ veritatique non congrueret, aut aliorum con-
ſenu non gauderet, comprobavit Vir Summe Rever. Ampliſſ. & Excel-
len-

lentiss. Dn. M. PETRUS BECKER, Venerandus Academiæ, Collegii Professorum Senatoriorum suæqve Facultatis Senior, Mathem. P. P. O. Cellerimus, Concionis Jacobææ Pastor longè meritissimus, & Rev. Ministerii Director gravissimus, Vir multis mihi nominibus colendus & æstumatißimus, cuius integra hoc apponam verba legenda. Sic autem scripsit ille :

Quoties in memoriam revocor PRÆNOBILISSIMÆ quondam DOMINÆ TADDELIÆ, placide nuper in Domino defunctæ ; toties mentis meæ oculis obversari videatur lævigatum probe speculum, vivam pingens imaginem fiduciae in DEum, CHristi merito nobis conciliatum, vere filialis. Vice namqve plus simplici perspexi, qvod & vivendo EADEM & patiendo, imo vero ad ultimum & moriendo, indiciis haud sane fallacibus, prodiderit absconditum in cordis sui penetrabilis pretiosissimum illud DEI donum, spiritum intelligo mansuetudinis, atque tranquillitatis, nunquam facile a scopo salutis dimovendæ ; id quod, Divo Apostolo Petro teste, insigne est in regenitis interioris hominis decus, imo vero & *καιρηλιον* coram DEO πολυτελες. Evidem non est cur commemorem pluribus ornatissimam, quam per Spiritus Sancti gratiam iniit BEATA, vivendi inter nos rationem ; cum in tota nostra communitate non sit facile quisquam, qui ignoret, quam fuerit præstans sincera erga DEum pietate, grata erga Suos propensione, candida erga proximum quemque charitate, prona ergo miseros misericordia, laudabili erga semet ipsam continentia, & quæ sunt alia Christianorum dona bonaque ; ita quidem, ut fidei suæ haud fucatæ ενεγειαν in operibus Spiritus reddiderit undiquaque conspicuam. Ceterum in perhibendo sacerdotali testimonio per conscientiam ego, & officii rationem silentio præterire nec queo nec debo : Qvod audiendo verbi divini præconio, qvod serie peccatorum confessioni, qvod sacramenti eucharistici usui frequentiori, avidissime aequa ac devotissime, nexu vere individuali, adhaeserit, totiusque cultus sacri amantissima fuerit ; præcipue per felicissimi conjugii sui tempora, per quæ ego demum in propriorem BEATÆ cognitionem dévenire, animæque curam in me suscipere potui. O ! quam ego lætarer in Domino, si in reliquis singulis, quibus mihi sacra sunt dispensanda, eandem deprehenderem mentem, DEO dicatam, quam in BEATA, dum in vivis esset, deprehendi, ab omni & simulatio-

D

ne

nis & ostentationis fuso longe alienam, quæ solius est divinæ
gratiæ *εὐεργησία*. Adcedit : quod optimam hanc bene vivendi ra-
tionem comitaretur ad fidum bene quoque patientiæ exercitium,
ut scilicet, per Spiritum illum mansuetudinis atque tranquilli-
tatis, in silentio & spe, cum abnegatione sui, ferendum susci-
pet, quicquid oneris paterna Sapientissimi Numinis manus in-
poneret ; quoniam edocita erat, quin imo & convicta satis ex
verbo revelato, quod in bonum omnia vertere noverit DEUS
timendo ipsum diligentibus, & diligendo timentibus. Proin-
de cum ex beneplacito DEI corporis quoque lenta quadam æ-
gritudine correpta, per complures menses tenaciter afflige-
retur, dolores omnes anxietatesque satis graves multa cum
animi tranquillitate sustinuit, ad instar agnelliæ, mactationi
destinatæ, atque ovinæ obmutescentis sub tondentium mani-
bus, neque os suum obmurmurando unquam aperuit ; premens
in eo vestigia patientis quondam Redemptoris nostri, quan-
tum humana quidem patitur imbecillitas, ex perpetua car-
nis contra Spiritum lucta suboriens. Sed vero & in hoc
ipso patientiæ exercitio exuberanti divinæ gratiæ plenitudini
adceptum BEATA tulit, quod nunquam plane succubuerit
Spiritus, ex frequenti mediorum salutis usu corroboratus, ad
ipsum usque imminentis mortis articulum. Liceat mihi
specialius enumerare, quæ per extremos quatuor vitæ IPSI-
US, qui supererant, dies præsens ipse fui expertus. Dies
erat Dominicus, ob Festum Trinitatis Ecclesiæ facer, quum
ad invisendam ÆGRAM provocatus adessem, reciprocatisque
circa præsentem & corporis & animæ statum sermonibus
quamplurimis, ad animum ipsi revocarem votum illud Paulinum
2. Cor. 13. qui ecclesiæ toti adprecatur inhabitantem gratiam
Domini Nostri JESU CHRISTI, amorem DEI Patris, ac com-
munionem Spiritus Sancti ; factaque applicatione adfirmarem,
hujus IPSAM voti absque omni dubio esse jam compotem per-
vivam illam, quam testaretur fidem ; habereque proinde uber-
rimum omnis solaminis fontem in trino hocce credentium bono
perfecto. Adnuit ægra & voce & gestu ; adjecit tamen : Vel-
le se, ut in sequente, c. D. luce sacra IPSI ministrarem, quæ
avidissime iterum exoptaret, ad obsignandam sibi denuo fidei
πληροφορίαν Movi quidem ego dubium de strepitu forensi, ædium
suarum fores occupatuero postero die, (da es ein Jahr und Pfier-
de,

de Martt) interrogans: utrum eo quidem die mallet acquiesce-
re in spirituali corporis & sanguinis Salvatoris sui usū? Sed
regessit AEGRA: Istas fori turbas nihil ad se; neque enim
sacris suis meditationibus terrena quævis esse obstitura. Ob-
temperavi ego lubens, posteroque die, qui 14. erat Junii, sacra
præbiturus propinavi EIDEM, præmissis præmittendis, dul-
cissima Redemptoris & Commiseratoris nostri eloquia Es. 54.
Fürchte dich nicht, werde nicht blöde -- der dich gemacht hat ist
dein Mann -- Ich habe dich ein klein Augenblick verlassen -- Ich
will nicht über dich zurück -- Es sollen wohl Berge weichen, sc.
Qvibus singulis debita cum applicatione inculcatis, post abso-
lutionem, sacramenti usum, cum benedictione ecclesiastica obtu-
li, non parum in Domino gavisus, qvod plurima observarem
fiducie atque lœtitiae spiritualis indicia, qvae prodidit AEGRO-
TANS complicatis manibus, sublati in cælum oculis, emissi-
que voce, ut ut per raucedinem quandam admodum obtusa. An-
tequam autem discederem, non sine causa certa rogabam: ut
memor esset verborum sponsi cœlestis ex Ps. 45. Höre Toch-
ter, schaue darauf, vergiß deines Volks und deines Vaters
Haus, sc. Quam admonitionem certus novi non fuisse fru-
straneam. Die, qui sequebatur 15. Jun. comperi statum AE-
GRÆ videri paulo tolerabiliorem. Sed ecce! subsecente 16.
mensis Junii die circa meridiem, urgente quidem AEGRA, ad
precandum & bene dicendum adceritus, non cum morbo tantum
sed cum morte ipsa colluctantem deprehendi; quamvis nec ani-
mi vigor, nec sensuum facultas, nec linguae usus cessarent.
Præstiti, auxiliante divino Numinе, quæ mearum fuerunt par-
tium, &, prout occasio ferebat, allegatis modo Scripturæ di-
ctis, modo recitatis cantionum formulis, modo fusis precibus,
benedictionem repetii sacerdotalem, quam implexis digitorum
articulis, lacertisque cum manibus pectori admotis, ita sibi ad-
plicabat moribunda, ut liquido constaret, quod in spiritu tran-
quillitatis per fidem salvificam DEO atque sospitatori suo silen-
do se committeret. Silendo, inquam; Vidi namque hisce meis
oculis, quod morti jam vicina, tacentibusque ad momentulum
nobis, precando labia moveret, ad exemplum Hannæ, vocem ta-
men non ederet; id quod ad superintercedentis spiritus sancti
suspiria ineffabilia referre nullus ego dubito. Elapsis namque
paucis horulæ minutis, cessante omni & rationis & sensuum
usu

usu inter vota atque suspiria nostra placide in Domino obdormivit. O ter beatam! Concede quæso! o DEUS, Pater Domini nostri JESU CHRISTI, animæ gloriam; corpori quietem; famæ vitam; Vido solamen; orphanis compensationem; familiæ prosperiatem; omnibus credentibus aequæ beatam avarauor. Amen!


Qvo pio voto, qvod Numen Altissimum exauditum ac impletum velit, sincero totoqve pectore etiam illud meum faciens, & ipse scriptiunculam hancce meam concludam. Ad Vos autem postremo me rursus converto, CIVES ACADEMICI O. O. HONORATISSIMI! Habemus hodie occasionem præsentissimam demonstrandi, nos genuinos & æqvos, etiam in sexu muliebri qvas conspicimus ac admiramur, virtutum æstimatores esse. Manifestabimus etenim illud, si paratum exuvias B. TADDELIÆ funus freqventi comitatu proseqvemur. Exhibeamus itaqve, rogo qvæsqve, hoc humanitatis ac Christianæ charitatis officium, piè DEFUNCTÆ, pariter atqve relictæ ipsius FAMILIÆ splendidissimæ, nunc mœrori summo immersæ. Id quod isti quidem honori, huic autem solatio futurum erit. At aliorum demortuorum funera comitantes, nostræ non simus mortalitatis immemores, cogitantes potius, acsi nobis acclamarent:


MEMENTOTE MORI, RESPICITEQUE FINEM.

P. P. Sub Sigillo Rectorali Academicō,

d. 30. Junii, Anno R. S. MDCCXLV.

Conveniemus in templo Cathedrali, St. Jacobo qvondam dicato,
hora I. pomeridiana.










m animos convertebat. Exambiit autem eam *Vir Præ-Nobilissimus*, ac *Prudentissimus*, *Dn.* JOACHIMUS FRIDERICUS TADDELUS, *V. J. D. inclitus*, Senator Rostochiensium *Amplissimus*, hodieque *Judicis Gewettæ vulgariter nomine signatum*, *Præses Gravissimus*, *Fautor ac auctor honoratissimus*. Cum hoc qvippe, Cognatorum ac Curatorum accidente consensi, sponsalia celebravit Anno MDCCXXXIV. Septembris d. 23. sacerdotali benedictione præviâ, consummata. i Conjuges conjugium erga se invicem duxerint enarrare, superum foret, utpote de qvo per urbem inter omnes constat, qvod præ-paulino *Eph. V. 33.* conformiter sese gesserint qvam observantissimè. sed concors erat, ut nulla unqvam inter eos exorta discordia, nec in animi reconciliati. Qvamobrem Beata, sicuti marito suo, ita nus Cognatis illius gratissima semper exstittit & magni aestimata. mis & acceptissima jucundissimaqve fuit Socrui suæ, genuino manu virtutum exemplo, *Præ-Nobilissimæ Matrenæ*, *Dn. CHRISTINÆ ENGHREN*, *Viri qvondam Illustris*, *B. Dn. JACOBUS TADDELI*, *Seruus Mecklenburgici*, ac *Domini FRIDERICI WILHELMI*, *gl. mem. Consesimini*. *Viduæ*, quam Numen Clementissimum in splendidissimæ Fa- tissimè jubeat superesse. Hæc enim Nostram, non uti Nu- elut ex se natam filiam amatissimam dilexit, & nunc obi- plorat: sicut ex adverso hæc illam non secus acsi vitam amoris affectu, veneratione summâ & honore debito pro-



rit prædictum illud conjugium TADDELIO-MICHELSENI. O ipsi beneplacitum, non caruit ipsum cœlesti defuper be- qvam Optimi hi Conjuges, ut alibi, sic & in procrea- perti fuere. Fœcunda enim exstittit Beata octo, qvi- laravit, liberorum Mater, qvorum verò partem dimi- erat, nunc iterum in beatorum sede amplexandam. Or- uie huic talis contigit:

INA JULIANA, qvæ An. 1735. d. 7. Jul. mundum intra- qvennium vivendo vix superans eum iterum deseruit, mensem octobrem incipiente die.

FRIDERICUS, An. 1736. d. 24. Septembr. editus, indolis in qvo jamjam animadvertisit ad Literarum Studia non io, super qvem DEus gratiam suam largiter effundat, ut vorum vestigia premens olim qvam multa societati hu- ioda ferat.

S JACOBUS ANDREAS, natus An. 1738. d. 4. Januarii, an- nitis mensis, itidem adhuc aurâ vitali vescens, qvem & Numen benignissimum faxit.

DROTHEA, qvæ 12. Septembris die Anni 1739. lucem han- C ad-